



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

II. Quod sacerdotes debent orationi & lectioni incumbere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciat, nec manus sacra vnctione delibutas peccando polluat: sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuendi præbentes, his, quibus præestis, ducatum ad cælestia regna præbeat.

I I.

Psal. 118.

Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, quia iusti viri vita lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato, iuxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur; hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur.

I I I.

Sed & si quando a lectione quis * esset, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem a lectione, siue ab oratione, siue ab operatione vacantem inuenit, facile ad vitia rapit, per vsum namque lectionis discitis, qualiter & vos recte viuatis, & alios doceatis: per vsum orationis, & vobis, & his, quibus in caritate coniuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimentum negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis quid ad necessitatem patientibus porrigatis.

I V.

Quando more solito ad Synodum conuenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium & iniunctum officium peragatis, vobiscum afferte: nec non duos aut tres clericos, siue laicos, cum quibus Missarum solennia celebretis, vobiscum adducite: vt probetis quam diligenter quamque studiose Dei seruitium peragatis.

V.

Panes, quos Domino in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris, coram vobis nitide ac studiose fiant. Et diligenter obseruetis, vt panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime atque